

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1650

1565

ASCETICI.

1566

proposuimus, quod exterius depingimus (Iconismum aliquem Arcae innuit) ut foris discamus, quid intus agere debeas. Et cum huius exemplaris formam in corde tuo expresseris, domum dei in te edificatam esse eteris. Et jam Quintus Liber incipit: Primum in planicie, ubi archam depingere volo, medium centrum quero &c. Liber iste in Codice conspirat cum Editis usque ad C. XIV. p. 296. de Mansionibus quadraginta duabus, qui locus a verbis: ad terram promissionis gratiae, usque ad verba: Hæc ad constructionem arcæ &c. in Codice deest. Reliqua rursus consonant usque ad Editorum finem: hoc interim exemplari afferendum suum prouocet. Deinceps vero in Codice additae sunt sequentes VI. Rubricae: Rerum significations negligenter pertransire non debet negligens (diligens?) sacri eloquij scrutator. Quomodo numeri significant. Rerum proportiones in quibus considerantur. De Ponderibus. De Mensuris. Mappa mundi. Et haec quidem aliquatenus refert Librum IV. Excerptiorum Hugonis T. II. p. 348. Cetera vero, utut illius esse videantur, ad V. Libros de Arca certe non pertinent, neque alibi in Editis ejus reperiuntur. Initium Rubricae I. Diligens scrutator sacri eloquij rerum significations &c. Finis VI. cuius annus primus fuit Herodes secundus patruus, qui Jacobum interfecit. Explicit. 1434. post urbani.

XV. fol. 320. Sermo S. Ambroſij. Inie. Nabuthe hystoria tem-
Denis Codd. Theol. V. II. P. II.

pore vetus est &c. Ut edit. Maur. Paris. 1686. T. I. col. 565. De est tamen etiam huic Exemplu extrema illa περιοπη: Sed oportet &c. cuius loco iterum: 1434.

XVI. fol. 329. Augustinus de heresibus. Nempe ad Quodvultdeum. Nequaquam tamen, ut Edit. Maur. T. VIII. col. 1. sed Bre viarium perfunctorie inde excerptum.

DCLXVII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 2234 XIV. Folior. 42. 4. partim lineis longis, partim per duas columnas scriptus, minio distinctus, et quondam Domus Vallis Josaphat, id est, Carthusiae Dolanensis ob Hussitas devastationes a. 1444. Olomucium translatæ, nunc vero extinctæ continent sequentia: I. absque titulo *Lignum Vitæ*, qui Tractatus legitur Opp. omn. Bonaventurae T. VI. Lugd. 1668. p. 403. f. et ad calcem habet: Magister Bonaventura. Caret in Codice Iconismo Crucis, incipit: Christo crucifixus (confixus) sum cruci. Ad gala. 2. Uerus dei cultor christique discipulus &c. et fortassis etiam in quibusdam Exemplis mss. titulum praefert Fasciculi Myrrbae; ait enim Autor in Praef. Colligere studii Hunc myrre fasciculum.

II. fol. 16. p. 2. minio: Incipit ternarius; in margine vero: Incipit Itinerarius totius vite. Neutrum inconcinne; agit enim anony mus Ascetes de triplici Via, atque ita orditur: Ecce descripsi

F f tibi

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1650

1567

C O D I C E S

1568

tibi eam tripliciter. Prov. XXII.
Cum omnis scientia gerat trinitatis insigne et precipue illa que docetur in sacra scriptura. debet in se representare vestigium trinitatis propter quod dicit sapiens de hac sacra scriptura se eam tripliciter descripsisse propter triplicem eius intellectum spiritualem s. moralem allegoricum anagogicum. Hic autem triplex intellectus respondet triplici actui Hierarchie scilicet purgacioni illuminacioni perfectioni. Purgacio autem ad pacem ducit, illuminacio ad veritatem, perfectio ad caritatem &c. Est vero totus in proponendis Meditationum Schematibus, quibus ad calcem subditur: Finitus est ternarius.

III. fol. 27. Incipit Hugo (a S. Victore) de arra sponse. Ita: Loquar secreta anime mee et amica confabulacione exigam ab ea &c. Prout extat in Opp. omn. Rotom. 1648. T. II. p. 223. f. 14v.

IV. fol. 38. Biga Epistolarum. Prior quidem Petri Blesensis ad quendam Magistrum Alexandrum dehortatoria, ne Ordinem Carthusianum deserat, quae incipit: Si concepte indignacionis spiritum possem dissimilare &c. et est in Bibliotheca PP. Lugd. T. XXIV. p. 1004. n. 86. Altera D. Hieronymi ad Heliodorum de Contemptu Mundi, quae incipit: Quanto amore et studio contenderim &c. et est T. I. edit. Vallars. col. 28. n. 14. Ad has Epistolas ita praefatur Scriptor: Utique scio acceptum fore patribus domus uallis yosaphat debitum meum duarum scilicet epistolarum sequencium,

quas, dum apud uos hospitarer ego indigenus colloquium habens cum venerabili patre et christi ministro Stephano de duobus punctis tali signo ✕ positis scribendas promisi. Sed quid hoc in comparacione illius caritatis, qua apud uos sum potatus, et frequenter etiam nomen uallis yosaphat quandam uisionem cordi meo ingerit, de qua beatus pater Jeronimus ita loquitur: Vidi yfaias dominum sedentem super solium excelsum et elevatum; vidi et daniel sedentem dominum sed non super solium excelsum et elevatum, pollicetur et alibi uox diuina dicens: Veniam et sedebo et iudicabo populum in ualle iosa- phat, quod interpretatur domini iudicium. Qui peccator est, et mei similis, uidet illum sedentem in ualle yosaphat, non in colle, non in monte, sed in ualle, et in ualle iudicii. Qui uero iustus est et yfaie similis, uidet illum sedentem super tronum excelsum et elevatum. Hoc quidem ille. Ego autem uerius multo mibi conuenire arbitror, quam idem ipse sanctus alias de se protulit sententiam dicens: Ego in scelerum meorum sepulcro iacens et peccatorum vinculis dominicum de evangelio expecho clamorem. W. ueni foras, ut tandem audiam, quid loquatur in me dominus de ualle yosaphat, respiciens stellam, inuocans mariam, ut digne passim uobiscum dicere Ave Maria. Etiam in calce Dolanensem memoriae se commendat ignotus hic W. apud eos hospitatus inter an. 1388.—421. hoc enim temporis spatio praefuit eis Stephanus

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1650

1569

ASCETICI.

1570

nus, de quo plura utroque *Valu-*
mine dixi.

DCLXVIII.

R. 1991 Codex membraneus lat. Sec.
XIV. Folior. 204. f. maj. per
duas columnas exaratus et rubri-
cis distinctus, olim *Fratrum*, ut
praefertur, *Carthusiensium prope*
Pragam, qui fatentur: *Iustum lib-*
rum dedit nobis reuerendissimus pa-
ter dominus Johannes de kytlicz
Episcopus Misenensis (inter an.
1393—404.) continet I. Tracta-
tum de septem itineribus eternitatis,
qui incipit: *Eum, qui uenit*
ad me, non eiciam foras. Job. X-
VI. *Augustinus in libro de cogni-*
tione vere vite dicit. Cum Christus
via veritas et vita dicatur &c.
Nulla neque hic, nec ad calcem
Bonaventurae mentio, licet Tra-
ctatus iste passim illi tribuatur,
compareatque in *Opp. omn.* Edi-
tione *Lugdun.* 1668. T. VII. p.
184. ubi tamen observo, *Dist.*
VII. et *ultima* ad hanc sententi-
am: *Bonum operatum fert dulce-*
dinem in gustu, et gaudium in cor-
de; subpressum esse autoris *Al-*
berti M. nomen, quod in Codice
legitur. Si temere istud acci-
dit, salva res est, fin data opera,
suspicari quis posset, cum σογχε-
νοι fuerint Albertus et Bonaven-
tura, timuisse Editores, ne e ci-
tato Alberto dubium quibusdam
suboriatur, an Tractatus non po-
tius ad Asceten aliquem Bonaventura
posteriorem sit referen-
dus. Praeterea deest sub finem in

Codice prolixa περικοπη, quae in
Edit. incipit: *Odor autem &c. et*
terminatur: *feliciter terminat.*

II. fol. 34. Incipit liber de spi-
rituali perfectione interioris homi-
nis ex collatione et institutione san-
ctorum patrum a magistro beynri-
co de frimaria editus. *Cassianum* in
hoc Opere typis, quod sciam,
nunquam expresso compilavit no-
tus hic Eremita Augustinianus, cu-
jus varia Scripta jam a me rela-
ta sunt, omnia ab Ossingero in Bib-
liotheca Ordinis enumerantur, qui
bene observavit, praesens istud
perperam a *Trithemio* n. 589. in
duo distinctum fuisse. Constat illud
Libris XXIV. ut vocat, *parciali-*
bis in sua Capita tributis, quorum
Elenchi ubique praecedunt. Ipse
vero Praefationem ita orditum:
Iustum librum pro honore dei et edi-
ficatione legentium studiose conce-
pit magister beynricus de frimaria
(al. Vrimaria) *sacre theologie pro-*
fessor ex libris collationum et insti-
tutione sanctorum patrum. In quo
plurima puncta continentur &c.
Et re ipsa nihil paene Documentorum
sublimioris Asceseos per
decursum desideres. L. I. tractat
de octo Vitiis capitalibus. II. de
Cordis puritate. III. de Discretio-
ne &c.

III. fol. 84. succedunt S. Ber-
nardii Sermones LXXXIII. in
Cantica, tribus igitur ultimis pau-
ciores, quam exhibet Editio *Opp.*
Mauriana T. IV. Inscripti sunt
hoc rubro: *De tytulo istius libri*
et quod per excellentiam appellatur
cantica cantorum sermo pri-